

**Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Festum Memoriae  
Resurrectionis Christi Consecratum Pie Ac Religiose Celebrandum Ciuibus  
Indicunt Praemissa Altera Particula Commentationis Qua Via Et Ratio Doctrinae  
Euangelicae De Satisfactione Vicaria Iustitiae Diuinae A Christo Pro Hominibus  
Praestita Recte Probanda Breuiter Delineatur**

Buetzovii: Typis Ioann. Gotth. Fritzii, [1777]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn183116454X>

Druck    Freier  Zugang



Universität Bützow.

Osterprogramm. 1777.

Mkl h

3488

ZB ME

05. Aug. 1999

• entsäuert


Mell. h.  
3488


RECTOR ET CONCILIO  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
BUETZOVIENSIS  
FESTUM  
MEMORIAE  
RESURRECTIONIS  
**C H R I S T I**  
CONSECRATUM  
PIE AC RELIGIOSE CELEBRANDUM  
CIUIBUS INDICUNT  
PRAEMISSA  
ALTERA PARTICULA COMMENTATIONIS  
QUA VIA ET RATIO  
DOCTRINAE EUANGELICAE  
DE  
SATISFACTIONE VICARIA IUSTITIAE DIUINAЕ  
A CHRISTO PRO HOMINIBUS PRAESTITA  
RECTE PROBANDAE  
BREUITER DELINEATUR.

---

B U E T Z O U I I  
TYPIS IOANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. DVC. AVL.  
ET ACADEM. TYPOGR.







Quum Vobis, Ciues Carissimi , festum;  
quod iam antiquitus ab ecclesia Chri-  
stiana sollemni resurrectionis Christi  
memoriae pie recolenda consecra-  
tum est, ex more atque instituto lau-  
dabili publice indicendum fit, atque officii nostri ra-  
tio a nobis postulet, vt simul meditationem sacram re-  
ligiosae illi sollemnitati accommodatam Vobis praeea-  
mus: recordamur deberi Vobis continuationem com-  
mentationis ante hunc annum coptae, qua viam & ra-  
tionem doctrinae euāngelicae de satisfactione vicaria  
iustitiae diuinae a Christo pro nobis praeflita recte pro-  
bandae breuiter delineare suscepimus. Cuius commen-  
tationis in *quatuor partes* a nobis distributae quum *par-*  
*ticulam primam* festo Paschatis anni superioris Vobis tra-  
diderimus, qua *cautiones* quasdam ac *regulas*, quibus  
a 2 admo-



admoniti prouide & feliciter in veritate huius doctrinae inuestiganda versaremur, ante omnia circumspeximus; sequitur, vt iam *particula altera* viam monstremus, qua ex solis effatis scripturae s. eorumque collatione, quid in illa doctrina verum sit, expeditius intelligi & demonstrari posse nobis videatur. In hac veri inuestigatione cautionum illarum, quas in particula prima tanquam diligenter obseruandas docuimus, nobisque ipsi praescripsimus, memores manere studebimus, in primis etiam *tertiae* pag. 7 - 9. traditae, ex cuius explicacione, vt lectoribus nostris statim ratio appareat, quare in hac, quam aggredimur, probatione hanc, non aliam, viam sequamur, repetere placet, quae ibi pag. 9. scripsimus: „Itaque sic potius in hoc negotio versandum est, vt, quando suscipimus oracula diuina consulere, quid Jesus Christus ad salutem nostram praestiterit, tum quasi obliuiscamur, quid ecclesia nostra, quid doctores illius in suis compendiis ac systematibus de satisfactione a Christo praestita docuerint, atque vt nos quasi recentes & hac religionis doctrina nondum imbuti ad oracula diuina accedamus, DEV M ipsum audiamus, secundum omnia Hermeneuticae S. pracepta & monita (quae quidem recta sint) summa, qua fieri potest, diligentia sensum effatorum Spiritus S. scrutemur, & perspicere allaboremus iam non solliciti, num doctrina theologorum nostrantium, an vero alia quaedam, tali interpretatione sit exitura..” Huius igitur moniti, quod ipsi nobis dedimus, memores in hac commentatione non proficisciemur, vti alii non pauci,



5

pauci, a definitione talis satisfactionis, qualem a Christo praestitam aut ipsi iam mente concepimus, aut doctores nostrates afferunt, ita ut hanc notionem amplexi deinde ad eam cupide accommodemus explicationem dictorum e Scriptura S. conqueritorum; sed quasi ignari satisfactionem DEO a Christo praestitam doceri in ecclesia nostra illum ordinem potius invertemus, & reliet omnibus hoc nobis primum erit, vt oracula diuina consulamus, quid Christus in salutem nostram praestiterit; & quidem in hac commentationis nostrae particula, quam nunc exhibemus, his finibus nos continebimus, vt sola effata S. S. audiamus, & recte interpretari studeamus, sepositis ad tempus & in tertiam tractationis particulam referuatis philosophematibus, quibus aut ex principiis rationis aut ex analogia fidei doctrina illa e solis testimoniois diuinis hausta & proxime deducta magis illustrari confirmarique posit.


Atque vt haec, quam nunc suscipimus, inuestigatio idoneum habeat initium, inde proficiscimur, vbi summa inter omnes Christianos consensio est in doctrina de Christo & beneficiis, quae ipsi debeamus.

*Primum* igitur iure nostro postulamus vt nobis concedatur, quod non possunt non concedere, qui in Scriptura S. reuelationem DEI contineri illamque esse ~~Geonievos~~ fatentur, has sententias, quas in duas classes distributas iam afferemus, DEV M testatas nobis dedisse, quippe quae totidem verbis a legatis diuinis pronunciatae in bibliis leguntur.

i) Jesus Christus est ~~σωτήρ~~ hominum Luc. 2, II.

a 3

Act.



Act. 5, 31. 2 Tim. 1, 10. Tit. 2, 13. 2 Petr. 1, 1. 2, 20.  
 3, 2, 18. & in nemine alio est *σωτηρία*, neque nomen  
 aliud sub celo datum est inter homines, in quo nos  
 seruandi simus s. ad salutem perducendi Act. 4, 12. ideo  
 etiam nomen *Jesu* illi datum est a DEO interprete an-  
 gelo, quoniam ad salutem perducit populum suum a  
 peccatis Matth. 1, 21. hic Jesus aboleuit mortem 2 Tim.  
 1, 10. per eum concescit nobis DEVS victoriam de mor-  
 te & inferis reportandam 1 Cor. 15, 55. 57. ille aboleuit s.  
 potestate exuit eum, qui mortis habebat imperium, id  
 est, diabolum Hebr. 2, 14. DEVS vitam aeternam no-  
 bis dedit, & haec vita est in filio eius Christo 1 Joh. 5,  
 11. 12. DEVS hunc filium suum vnigenitum motus  
 amore in homines dedit, vt quicunque in eo fiduciam  
 collocent, non pereant, sed vitam aeternam habeant  
 Joh. 3, 16. qui in hunc filium DEI credit non condem-  
 natu*r* Joh. 3, 18. qui non credit ei, vitam aeternam non  
 videbit, sed ira DEI manet super eo Joh. 3, 36. Jesus  
 est via & vita, nemo ad patrem ipsius, DEVM, venit,  
 nisi per eum Joh. 14, 6. Idem parauit in domo patris  
 sui locum, quem obtineant qui in eum credunt Joh.  
 14, 1-3. cf. c. 17, 24. atque effecit, vt homines in coe-  
 lis sacerdotes & reges DEO & patri ipsius essent Apoc.  
 1, 6. 5, 10. cum ipso aeternum regnaturi Apoc. 22, 5.  
 3, 21. 2 Tim. 2, 12.

2) Jam, si quaerimus, quomodo Christus *σωτήρ* &  
*ἀρχηγὸς σωτηρίας* humani generis sit, seu qua ratione pen-  
 dent ab ipso salus & beatitas nostra: reperimus

(1) eiusmodi oracula, e quibus discimus, Chri-  
 stum

stum vtique etiam hanc ob rationem  $\sigma\omega\tau\eta\rho\alpha$  nostrum  
 esse & merito vocari, quoniam rex sit a DEO patre  
 constitutus, & ab hoc summam potestatem & imperi-  
 um acceperit (quod etiam nomen Christi proxime si-  
 gnificauit) ita vt salus nostra pendeat ab eius prouiden-  
 tia, gubernatione, iudicio decretorio, ipsaque largitio-  
 ne bonorum coelestium. Sic enim sententiae diuinæ  
 pronunciant. Jesum fecit DEVS dominum & Chri-  
 stum Act. 2, 36. qui sedeat a dextris DEI v. 34. Hunc  
 DEVS  $\alpha\epsilon\chi\eta\gamma\delta\omega$  καὶ  $\sigma\omega\tau\eta\rho\alpha$  exaltauit ad dextram suam  
 Act. 5, 31. omnia ipsi tradita sunt & in manum data a  
 patre suo, Matth. 11, 27. Joh. 3, 35. & omnis potestas  
 in coelo & terra ipsi data est Math. 28, 18. cf. Eph. 1,  
 20 - 22. 1 Petr. 3, 22. in primis dedit ipsi Pater imperium  
 in omnem carnem, vt omnibus, quos Pater ipsi dedit,  
 vitam aeternam tribueret Joh. 17, 2. Hunc Jesum, qui  
 est caput super omnia, peculiariter ecclesiae, quae est  
 corpus ipsius, caput DEVS constituit Eph. 1, 22. 23. cf.  
 c. 4, 15. 16. Col. 2, 19. Sic exaltatus Jesus dat dona ho-  
 minibus Eph. 4, 8. &, quum sit caput ecclesiae, idem  
 est  $\sigma\omega\tau\eta\rho\tau\delta\sigma\alpha\mu\alpha\tau\omega$  Eph. 5, 23. nutrit & fouet ecclesiam  
 tanquam carnem suam v. 29. 30. est cum suis omnes  
 dies vsque ad finem s.  $\sigma\alpha\eta\tau\epsilon\lambda\alpha\tau\omega$  τὸς ἀιῶνος Matth. 28, 20.  
 habitat in iis, qui fiduciam in ipso collocant eumque  
 amant Eph. 3, 17. Joh. 14, 23. & in quo habitat, ei dat  
 etiam Spiritum suum 1 Joh. 3, 24. 4, 13. Tandem veni-  
 et hora, in qua omnes, qui in sepulcris sunt, audient  
 vocem ipsius & egredientur Ioh. 5, 28. 29. &, quum  
 omne iudicium ipsi traditum sit a Patre Ioh. 5, 22. 27.  
 cf.

cf. Act. 10, 42. 17, 31. exercebit etiam illud die ultimo ita, vt sententiam decretoriam ferat de salute hominum, qui beandi sint, qui puniendi, vti explicatus legi potest Matth. 25, 31 - 46. 13, 40 - 43. 47 - 50. Rom. 2, 16. 1 Cor. 4, 5. 2 Cor. 5, 10. Atque eos, quibus beatitas coelestis adiudicata est, qui stabunt coram throno & coram agno, & cultum DEO praestabunt in templo illius coelesti, eos agnus ille, qui est Christus, ipse pascat & ducet ad fontes aquarum viuos i. e. fruitionem bonorum gaudiorumque coelestium ipse illis praestabit. Apoc. 7, 9. 15 - 17.

Hac igitur ratione Christus vtique est  $\sigma\omega\tau\eta\varphi$  hominum, neque hoc in dubium vocari potest ab ullo, qui se Christianum profitetur.

Sed (2) reperimus etiam eiusmodi oracula, quibus sic pronunciatur: DEVS pater misit filium tanquam  $\sigma\omega\tau\eta\varphi$  mundi 1 Joh. 4, 14. misit filium suum - vt  $\sigma\omega\delta\eta\varphi$  ο  $\kappa\sigma\tau\mu\sigma$  per eum Joh. 3, 17. misit filium suum unigenitum in mundum vt viueremus per eum 1 Joh. 4, 9. venit Jesus  $\sigma\omega\sigma\alpha\mu$ , quod perditum fuit Matth. 18, 11. Luc. 19, 10. venit Christus Jesus in mundum peccatores  $\sigma\omega\sigma\alpha\mu$ . 1 Tim. 1, 15.

Iam ex his sententiis id simul liquido apparet 1) Iesum, qui a DEO missus fit in hunc terrarum orbem tanquam  $\sigma\omega\tau\eta\varphi$  & ad seruandos beundosque homines, periegisse aliquid, dum in his terris esset, antequam hunc mundum relinqueret & ad Patrem in cœlos rediret, quod ad salutem hominum parandam opus fuerit; 2) & tale quid, ad quod praestandum vt DEVS filium suum

\* \* \*


um vnigenitum in terras mitteret, summa ipsius sapientia suaserit.

His igitur fundamenti loco positis, quippe quae a nemine Christiano negari aut in dubitationem adduci possunt, iam porro anquirendum est, *quid teste Scriptura S. Jesus, dum in his terris degeret ante redditum ad Patrem DEVM praefliterit, quod ad salutem hominum parandam opus fuerit, & quod postulauerit, ut DEVS filium suum vnigenitum in hanc terram mitteret.*

Iam reperimus vtique 1) in Scriptura S. testatum: Iesum, filium DEI vnigenitum venisse in mundum tanquam lumen Ioh. 3, 19. cf. c. 1, 9. eum fuisse prophetam illum magnum, quem iam Moses a DEO mittendum promiserit Act. 3, 22. 23. DEVM ipsius patrem vocce de coelo missa iussisse, vt homines eum audirent Matth. 17, 5. DEVM verba ipsi dedisse Ioh. 17, 8. huius doctrinam fuisse Patris, qui ipsum miserit Ioh. 7, 17. hunc filium DEI vnigenitum, qui in sinu Patris sit, explicasse nobis, quae ad DEVM, quem nemo vnuquam viderit, recte cognoscendum pertinerent Ioh. 1, 18. illum nomen Patris sui manifestasse hominibus Ioh. 17, 6. 26. ipsum annunciasse inter Iudeos euangelium regni DEI. Marc. 1, 14. *σωτηρίαν* docuisse Hebr. 2, 3. verba vitae aeternae habuisse Ioh. 6, 68. Narratur etiam in Euangeliis argumentum multorum ipsius sermonum, quibus de DEO patre suo, de se tanquam filio DEI vnigenito, Messia & seruatore hominum, de propensa Patris sui suaque ipsius voluntate peccatores in gratiam recipiendi, de resipiscientia & fide in euangelium, de lege

b

recte



recte interpretanda & vitae sanctitate, de Spiritu S. a se  
mittendo, de immortalitate mentis humanae, resurre-  
ctione mortuorum, iudicio extremo, de beatitate coe-  
lesti & poenis infernalibus nos docuit. Narrantur mi-  
racula, quibus doctrinae suae diuinitatem confirmauerit.  
Relatum etiam legimus, eum discipulos suos, inpri-  
mis 12. illos apostolos ad munus legatorum diuinorum  
obeundum instituisse, praeparasse, donis miraculosis  
instruxisse, atque ablegasse tandem ad euangelium, ad  
*μετανοιαν* & remissionem peccatorum inter omnes gen-  
tes annunciandam. Praeterea docemur Iesum peccato-  
rum omnium expertem vitam sanctissimam egisse no-  
bisque *exemplar*, quod sequeremur, reliquisse.


Haec omnia, quae iam commemorauimus a Chri-  
sto, dum inter homines degeret, praestita, quibus lega-  
tum DEI, prophetam, doctorem religionis & exemplar  
virtutum egit, grauia omnino sunt, neque inficiandum  
etiam haec ad missionis diuinae propositum & ad salu-  
tem hominum promouendam pertinuisse.

Sed 2) quaerentibus nobis, num Christus, quum  
adhuc in terra versaretur, ante redditum ad patrem,  
praeter illam annunciationem euangelii, doctrinam re-  
ligionis & exemplum virtutum nihil aliud ad salutem  
nostram praestiterit, & num in iis solis id positum sit,  
ad quod filius DEI vnigenitus in terrarum orbem a Pa-  
tre suo mittendus fuerit: statim se offerunt nobis ora-  
cula permulta, quibus docemur, hunc nostrum *σωτῆρα*  
etiam hoc modo salutem generis humani parasse, vt  
*tum δικαιώμα & ὑπακοήν* praestaret, *tum παθηματα* mul-  
ta

ta & varia immo mortem cruentam subiret ; quid ? quod inuenimus huic parti rerum a Christo in his ter- ris gestarum praecipue & in quamplurimis Scripturae S. locis procreationem salutis nostrae tribui ; & legimus Paulum ita magnifice de *cruce Christi* praedicasse, vt diceret : ὁ λόγος τὸς σαυτοῦ - - τοῖς σωζομένοις ἡμῖν δύνα- μις θεῶν ἐστι 1 Cor. 1, 18. οὐκ ἔκρινα τοῦ ἐιδέναι τι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν χριστὸν, καὶ τοῦτον ἴσαυρωμένον. 1 Cor. 2, 2. & ab- sit a me gloriari nisi de *cruce Domini nostri Iesu Christi*. Gal. 6, 14.

Itaque iam omnis animi nostri attentio eo aduer- tenda est, vt ex oraculis diuinis intelligamus, quae sit vera ratio tum *δικαιώματος* & *ὑπακοῆς* Christi tum *παθη- μάτων* ab ipso toleratorum & in primis mortis illius cru- entae in cruce; num & quatenus etiam haec vtraque ad munus seruatoris a Jesu in hac terra administrandum & ad salutem nostram procurandam pertinuerint; atque hoc spectat omnis nostra commentatio.

Vt autem in hac ardua quaestione eo prouidenti- us nobis caueamus, ne praeiudicatis opinionibus aut partium studio ad falsas persuasiones abripiamur; ita in hac inuestigatione versabimur, vt *primum* oracula diuina consulamus, quem effectum & scopum tum obedientiae Christi tum afflictionibus eius & morti disertis verbis tribuant. Sed, quoniam ad rectam intelligentiam actio- nis ad effectum & finem aliquem assequendum suscep- ptae non sufficit effectum ipsum & scopum cognoscere, sed etiam requiritur perspicientia *nexus*, quo actio tan- quam causa cum effectu & fine cohaereat; id *alterum* erit, vt inuestigemus num oracula diuina & quid nos



doceant de *nexus* illius obedientiae & παθήματων mortis-que Christi cum isto effectu & fine, quem his tanquam causis tribuerint.

Et quoniam de παθήμασι & morte Christi maxima copia oraculorum diuinorum reperitur, e quibus eorumque inter se collatione maior lux speranda est: felicius rem nostram acturi nobis videmur, si in effectum salutarem & scopum παθημάτων Christi & nexus, quo haec cum illo copulata sunt, prius inquisuerimus, quam in fructum & finem ὑπακοῆς a seruatore nostro praefitiae: praeferim, quum testatum in Scriptura S. legamus, hanc obedientiam Christi etiam in ipsis παθήμασι & morte eius conspicuam fuisse Phil. 2, 8. Joh. 10, 18. 14, 31. Hebr. 5, 8.

Itaque I. omni cura id operam dabimus, vt ex ipsis oraculis diuinis discamus, quae fuerint consilia DEI in afflictionibus & morte filii sui unigeniti; quum sciamus hunc τῇ ὥρισμένῃ θευλῇ καὶ προγνώσει τῷ Θεῷ ἐνδοτον λαβότας Judaeos cruci affixum enecasse Act. 2, 23. cf. 4, 28. & secundum vaticinia diuina oportuisse Christum ita pati Luc. 24, 46. cf. Act. 26, 22. 23. 1 Petr. 1, 10. II. Et dum hoc opus arduum aggredimur, ardentissimis preceptibus DEV M O. M. obsecramus, velit mentes nostras lumine Spiritus sui ita collustrare, vt agnoscamus Christum crucifixum Judaeis scandalum & graecis stultitiam tamen DEI esse δύναμιν καὶ σοφίαν. 1 Cor. 1, 23. 24.

#### In hac investigatione

I. ex ordine paulo ante delineato hoc nobis *primum* sit, vt quaeramus, quem effectum & scopum παθήμασι & morti

*morti Jesu Christi oracula diuina disertis verbis tribuant.  
Haec consulentibus nobis respondent triplicem potissimum fuisse effectum istum a DEO & Christo intentum sibiique propositum*

i) *primus ponitur in eo, vt homines veniam peccatorum consequantur, ab horum poenis liberentur, fauore DEI fruantur, vitae & beatitatis aeternae participes fiant, dummodo in Christo fiduciam collocent. Hic effectus παθημάτων & mortis cruentae Jesu Christi variis phrasibus in permultis oraculis declaratur; quare haec pro diuersitate descriptionum & locutionum quibus vtuntur, in varias classes referemus.*

(1) In remissionem peccatorum effusus est *sanguis* Christi Matth. 26, 28. In Christo habemus ἀπολύτεωσιν per sanguinem eius, nempe remissionem peccatorum Eph. 1, 7. Col. 1, 14. Christus est μεσίτης καίνης διαθήκης, qua DEVS promittit, se propitium fore (ἱλεως ἔσομαι) iniquitatibus hominum horumque peccata non amplius recordaturum esse. Hebr. 8, 6. 10. 12. cf. 10, 16. 17. cuius διαθήκης μεσίτης est Jesus morte sua, θαύματα γενομένα Hebr. 9, 15.

Huc pertinent etiam a) locutiones illae metaphoricae; Christus lauit nos a peccatis nostris *sanguine* suo Apoc. 1, 5. *Sanguis* Jesu Christi filii DEI καθαρίζει nos ab omni peccato 1 Joh. 1, 7. cf. v. 9. Filius DEI postquam per se ipsum fecit καθαρισμὸν peccatorum, condidit in dextra maiestatis Hebr. 1, 3. ergo ante hanc sessionem, quum adhuc in terra esset, effecit istam purgationem; quod quale sit dilucidius explicat. Apostolus c. 9, 13. 14. his verbis: si sanguis taurorum & hircorum ---



*sanc&titat ad carnis puritatem (i. e. effecit, vt ex Israelitis ii, quibus ob impuritatem aliquam lege caeremoniali definitam non licebat cultui DEI publico interesse, & qui DEO purissimo fastidium creare censebantur, ad illum cultum diuinum puri redderentur) quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum se ipsum DEO obtulit immaculatum, purgabit conscientiam nostram ab operibus mortuis (i. e. quae tanquam c&auml;dauera nos impuros reddunt, aut etiam, quae mortem nobis contrahunt) ad cultum praestandum (vt cultus noster acceptus sit) DEO viuo. Hoc vocabulo *purgationis* Apostolum non significasse productionem aut excitationem sanctitatis *inbaesiae*, quam vocant theologi, non solum inde patet, quod cap. 1, 3. supra excitato dixit, Christum *purgationem* peccatorum nostrorum *effecisse ante quam* considererit in dextra maiestatis, sed etiam ex iis, quae in hoc cap. 9. statim post v. 14. modo explicatum docet versibus 18 - 23. quorum sensus breuiter huc redit: quemadmodum in veteri testamento ipsum tabernaculum & omnia vasa ad cultum DEI pertinentia sanguine adsperso purganda fuerunt, imo fere omnia per sanguinem secundum legem purgata sunt, & sine sanguinis effusione non fit remissio peccati, ac necessarium fuit, ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς istis sacrificiis vitulorum & hircorum καθαρίζεσθαι, i. e. effici, vt ne hunc totum religionis cultum DEVS sanctissimus auersetur propter fordes peccatorum in iis, qui hunc cultum praestant: ita necessarium fuit αὐτὰ τὰ επουργάνια meliori sacrificio i. e. Christi *purgari* i. e. effici, vt ne detestetur DEVS sanctissi-*

Etissimus homines, qui peccatores fuerunt, ad se in coelum admittere, inter illos in coelo tabernaculum suum collocare cf. Apoc. 21, 2.3. & ab iis tanquam sacerdotibus coli cf. Apoc. 1, 5. 6.

Hanc purgationem hominum a peccatis, quam Paulus sanguini Christi tribuit, idem vocat alibi *sanctificationem*, & dicit Hebr. 10, 10. nos *sanctificatos esse per oblationem s. sacrificium corporis Jesu Christi*, & quidem ἐφάπαξ; vbi iterum lucide apparet, non esse ipsi sermonem de effectione sanctitatis inhaesuiae; haec enim non effecta est in hominibus ἐφάπαξ. Haec notio purgationis & sanctificationis est etiam in illa phrasī, qua Paulus dicit Hebr. 10, 21. 22. quoniam habemus magnum sacerdotem i. e. Christum, accedamus ἐρρευτοσμένοις τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, item vbi c. 12, 24. Hebraeos in Christum credentes consolando admonet ipos accessisse τῶν αἰματι γαντισμῶν, additque, hunc sanguinem meliora loqui, quam Abel, i. e. non vindictam sed veniam poscere cf. 1 Petr. 1, 2.

Ad hanc classem referimus etiam iure nostro c) illas phrases, quibus Christus dicitur εἰς ἀθετησιν ἀμαρτίας, ad abolitionem peccati (cf. c. 7, 18.) per sacrificium suum apparuisse. Quae abolitio hic non est intelligenda de interna animi emendatione, sed de sublatione poenarum peccati; vti etiam e contextu patet; paulo post enim dicit Apostolus c. 10, 4. sanguinem taurorum & hircorum non potuisse ἀφαιρεῖν, auferre peccata, & v. 11. sacrificia leuitica nunquam posse περιελθεῖν ἀμαρτίας; iam ab isto sanguine & sacrificiis Judaei non emendationem,



onem, sed *veniam* expectabant; vi igitur oppositi sanguis Christi & sacrificium ita aboleuit & abstulit peccata nostra, vt horum poenae tollerentur, nobisque *venia* concederetur, seu, vt non amplius haberemus αμαρτίων c. 10, 2. nos angenterem. Illud ἀνενεγκαῖν ἀμαρτίας Hebr. 9, 28. & αἴσιν τὴν ἀμαρτίαν Joh. 1, 29. aliquid amplius nobis significare videtur; de quo infra.

Tandem d) huc referimus sententiam illam, qua Col. 2, 14. Christus dicitur ἵξαλέψιψα, τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγεραφον τοῖς δόγμασιν, quod fuit nobis aduersarium, quodque ille sustulerit e medio, quum affixisset illud cruci. Nam hac ratione in illis δόγμασιν erat chirographum, quod secundum Hebr. 10, 3. in ipsis sacrificiis erat ἀνάμνησις ἀμαρτιῶν. Ergo Christo cruci affixo sublatum est debitum nostrum poenarum pro peccatis soluendarum.

(2) Huic classi locutionum primae admodum affinis est altera, qua continentur eiusmodi phrases, quibus ιλασμὸς expiatio peccatorum humanorum Christo & morti eius tribuitur. His enim locutionibus itidem docemur, morte Christi effectum esse, vt veniam peccatorum homines consequerentur. Sed tamen illas ideo peculiari classi adscribimus, quod iis simul clarius significatur, DEVUM iratum fuisse nobis ob peccata nostra, seu voluisse haec punire, sed placatum esse morte Christi, i. e. hac effectum, vt DEVS vellet peccatorum poenas nobis condonare. Reperimus autem non modo eiusmodi oracula, quibus Christus ipse generatim dicitur ιλασμὸς περὶ τῶν ἀμαρτιῶν τῆς κοσμοῦ i. e. auctor & effector expiationis i Joh. 2, 2. 5, 10. & sacerdos noster τὰ πρὸς τὸν Θεὸν

¶ ad placandum DEVM, ad intercedendum pro nobis apud DEVM, & eis τὸ ιλάσκεθαι τὰς ἀμαρτίας Hebr. 2, 17. quemadmodum omnis sacerdos ad hanc rem constitutus est Hebr. 5, 1. 8, 3. sed etiam eiusmodi effata, quibus magis definite Christus dicitur sacerdos noster esse εἰντὸν ἀνενέγνας, quoniam se ipse obtulit & sacrificauit; Hebr 7, 27. sicuti etiam sacrificio eius, sacrificio corporis eius pro peccatis vnicō & ἐφάπαξ oblato tribuitur ἀθέτησις ἀμαρτιῶν & ἀγιασμὸς hominum omnibus numeris absolutus Hebr. 9, 26. 10, 10. 12. 14. Et quum Paulus Hebr. 9, 9. dicat dona & sacrificia ista leuitica non potuisse κατὰ συνείδησιν τελεῖσθαι τὸν λατρεύοντα cf. 10, 2. vi oppositi innuit, Christi donum & sacrificium τελεῖσθαι κατὰ συνείδησιν.


Porro, quum Rom. 3, 25. dicatur, DEVM proposuisse Iesum ιλαστήριον, siue iam hac voce intelligas expiatorem (sicut σωτήριον pro σωτῆρ) siue sacrificium expiatorium, siue eum, cuius typus fuerit operculum illud arcae foederis: tamen manet sententia haec; per Christum nobis contingere ιλασμὸν expiationem.

Huc etiam referenda est illa sententia Pauli, quae dicit Hebr. 9, 12. Christum per proprium sanguinem intravisse in sancta s. sanctissimam partem tabernaculi, ubi DEVS se ipse gloriose manifestat, id est, uti Apostolus ipse explicat v. 24. *in coelum*, & quidem εἰ μὲν οὐδὲ θῆναι τῷ προσώπῳ τῷ Θεῷ ὑπὲρ ἡμῶν. Ergo intercessio Christi pro nobis apud DEVM efficax est per & propter sanguinem illius effusum, quum se ipse sacrificasset cf. c. 12, 24.

Illas sententias, quibus per Christum DEO reconciliati dicimus ad aliam classem reseruamus.

c

(3) In



(3) In tertiam classem referimus illa oracula, quibus ἀπολύτωσις, redemptio & liberatio nostra Christo eiusque morti tribuitur, & quidem

a) generatim, memoratur enim η ἀπολύτωσις, η ἐν χριστῷ Ἰησοῦ; & dicitur: *in Christo* (aut etiam *per Christum*) habemus ἀπολύτωσιν & quidem *per sanguinem eius* Eph. 1, 7. Col. 1, 14. Christus *per proprium sanguinem* ingressus est semel in sancta αἰωνίαν λύτρωσιν εὐγάμενος Hebr. 9, 12. Christus *dedit vitam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν* Matth. 20, 28. Marc. 10, 45. & *dedit se ipsum ἀντίλυτρον* pro omnibus 1 Tim. 2, 6. Agnus ille, Christus, maculatus est, & ἡγόρασε nos DEO *sanguine suo*. Apoc. 5, 9. cf. 2 Petr. 2, 1. ἡ γοράθημεν τιμῆς 1 Cor. 6, 20. 7, 23. Christus, DEVS, ecclesiam suam περιεποίησατο *per proprium sanguinem* (hoc verbum περιποίησα hic significat aut acquirere siue labore siue pretio & impensis aut ex vsu, qui etiam apud LXX interpr. non infrequens est, *in vita conseruare*, efficere & prouidere ne moriatur aliquis & pereat, *liberare a morte & interitu.*)

Totam vim harum phrasium secundarum explicare non est huius loci, sed illius, vbi de *nexus mortis Christi cum liberatione nostra tanquam effectu dicendum erit*. Sed hoc loco iam videre licet, istis locutionibus *non modo liberationem significari, sed etiam sumptum a Christo ad nos liberandos impensum*; nempe liberationem nostram Christo constitisse morte & sanguine, Christum igitur vitam suam tanquam *lytron* hoc certe significatu iam indicato, seu *se ipsum ἀντίλυτρον* dedisse pro nobis liberandis. Neque hoc ipsi Sociniani negant, aut negare possunt.

b) Sed

b) Sed praeter has generaliores locutiones sunt etiam aliae, quibus *accuratius definitur*, a quibus malis nos Christus morte sua liberauerit & redemerit

aa) *a poenis peccatorum*; nam Eph. 1, 7. Col. 1, 14. apodosi illa, qua ἀπολύτρωσι<sup>i</sup> quae facta est per sanguinem Christi, additur *remissio peccatorum* (*poenarum igitur condonatio*) huius arctissima cum illa coniunctio significatur. Gal. 3, 13. Christus dicitur nos *redemisse ab execratione legis*, ergo a poenis, eo, quod ipse de *ligno suspensus exflecibilis pro nobis factus sit* (vim huius sententiae infra magis declarabimus) & Rom. 8, 34. Paulus laetabundus exclamat, quis est, qui *condemnet?* *Christus est mortuus.* Item Hebr. 9, 15. dicitur, *mortem Christi intercessisse εἰς ἀπολύτρωσιν* praeuaricationum, quae sub priori foedere fuerant, i. e. quae non poterant *aufferri* (ita ut non amplius conscientiam peccatorum angentem & metum poenarum haberent homines) istis sacrificiis V. T. in se & extra nexus typicum cum sacrificio Christi spectatis, quippe quae tantummodo ἀπολύτρωσι peccatorum excitabant cf. Hebr. 10, 1 - 4. II. Porro Rom. 5, 9. ex iustificatione nostra per *sanguinem Christi facta*, (de qua statim plura afferemus) deducitur hoc, ut *ab ira liberati seruemur*; quare etiam Christus dicitur 1 Thess. 1, 10. *εὐόμενος* homines *ab ira futura*.

bb) Jam peculiariter etiam *mala a peccatis profecta commemorantur*, e quibus *mors Christi nos liberauerit*.

α) *Mors, quatenus est mala.* Christus per *mortem suam* -- ἀπήλλαξε, liberavit eos, qui *metu mortis per totam vitam seruituti erant obnoxii* Hebr. 2, 14. 15. *κατήγετος*



*γησ̄ mortem 2 Tim. 1, 10, quare etiam DEVS dicitur per Jesum Christum nobis dedisse illam victoriam, vt triumphantes exclamare possemus: ubi est, o mors, aculeus tuus? ubi est, o ἀδη, victoria tua? 1 Cor. 15, 55-57.*

β) Potestas diaboli, quatenus hic *tum mortis* habuerat imperium, quod abrogauit s. aboleuit Christus per mortem suam Hebr. 2, 14. *tum*, quatenus *est accusator hominum* Apoc. 12, 10. hunc enim *κατηγορον* vincunt fideles propter sanguinem agni i. e. Christi v. 11. *tum*, quatenus ille erat *ἄρχων τῶν κόσμων*; nam, quum Christus in eo esset, vt mortem cruentam in cruce subiret, sic pronunciauit; Ioh. 12, 31. 32. nunc habetur iudicium mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur, & ego, quando in altum sublatus fuero e terra (i. e. in crucem actus fuero v. 33.) omnes traham ad me ipsum. Quo etiam verissimilime refertur illud dictum Col. 2, 15. Christus exuit τὰς ἀρχὰς τὰς ἀρχαὶς & triumphauit de illis, & quidem, quum cruci affixisset chirographum illud, quod nobis adversarium fuerat.

γ) Christus se ipsum dedit pro peccatis nostris, vt ciperet (*ἐξέληγει*) nos *ἐκ τῶν ἐνεστῶν αἰώνων πονηρῶν* i. e. ab omnibus malis & miseriis huius aei, quae nos premunt, quamdiu in hac terra viuimus.


δ) Sicuti serpens ille in deserto in altum sublatus est: sic Christus in altum tollendus fuit, vt omnis, qui ipsi confidat, non pereat, &c. ergo ab interitu & perditione omnis salutis nos vindicauit mors Christi cruenta, neque perituri sumus, nisi noluerimus Christo confidere.

Haec omnia oracula, quibus liberatio nostra & redemptio

demcio morti Christi tanquam causae tribuitur, eandem rem nobis asseuerant, quam illa primae & secundae clasuis aliis verbis iam indicauerant, aut, quae ex illis facili ratiocinatione colligi potuerat; sed tamen, quoniam DEVS in Scriptura S. varietate ista phrasium usus est, & effectum mortis Christi e diuersis quasi lateribus nobis monstrauit, pro hac diuersitate locutionum classes distinguere voluimus, atque inprimis has phrases, quae de ἀπολυτρώσει & redemtione per mortem Christi facta loquuntur, in unam peculiarem classem colligere; quum hae simul, ut infra videbimus, *nexus* indigitent, quo mors Christi causa sit *veniae s. remissionis peccatorum* & *expiationis*.

Ex his trium classium priorum oraculis didicimus, veniam peccatorum, expiationem, poenarumque condonationem, & malorum a peccatis profectorum auerruncationem mortis Christi effectum & scopum fuisse. Jam sequuntur alia oracula itidem in diuersas classes distribuenda, quae tales fructus mortis Christi commemorant, in quibus est aliquid amplius, quam in illis antea indicatis.

(4) Quarta igitur classis continet ea oracula, quibus iustificatio hominum morti Christi tribuitur. Omnes homines peccauerunt -- & iustificantur gratis -- διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν χριστῷ Ἰησῷ, quem proposuit DEVS ιλατήριον per fidem ἐν τῷ αὐτῷ αἷματι Rom. 3, 23 - 25. Nos iustificati sumus per sanguinem Christi Rom. 5, 9. DEVS Christum, qui non nouerat peccatum (huius plane expers fuerat) pro nobis ἀμαρτίαν fecit (hoc loco nondum ex-



plicamus totam vim huius phraseos; sufficit iam haec notio, quam ipsi Sociniani reiicere non possunt: tanquam peccatorem tractari permisit) vt nos fieremus diuinosūn  
et in illo (vt pro iustis haberemur a DEO & tractaremur) Vocabulo *iustificationis* in his aliisque locis non significari emendationem & collationem iustitiae inhaesiuae, sed sententiam iudicis, qua quis iustus censetur, declaratur, & tanquam iustus tractatur, id suo loco demonstrabimus, & *Socinus* ipse tam aequus est, vt concedat. Hac igitur significatione iam sumta istis oraculis docemur, non modo veniam peccatorum nos consequi & a poenis absolui per sanguinem Christi & cruciatus, quibus tanquam peccator afflictus est, sed aliquid amplius, nempe vt tanquam iusti a DEO tractemur, vt nobis contingat a DEO, quod hic non nisi iustis impertiat.

(5) In quintam classem referimus illa oracula, quibus reconciliatio hominum cum DEO, huiusque favor illis restitutus morti Christi tanquam cause tribuitur. Sic enim legimus 2Cor. 5, 19-21. DEVS erat in Christo mundum reconcilians sibi (vel etiam, reconciliauit sibi mundum i. e. incolas terrae per Christum) μηλογιζόμενος, non imputans illis (incolis terrae) delicta eorum. Hoc igitur est unum, quod pertinet ad illam reconciliationem hominum cum DEO per Christum, nempe, quod DEVS non imputet hominibus peccata ipsorum, seu quod is horum poenas condonare velit. Jam addit Paulus alterum, quod cum illo priori tanquam consequens connexum est, & ponens in nobis sermonem reconciliationis, seu, vt ipse

ipse Apostolus paulo ante v. 18. aliis verbis dixerat, *dans nobis* (legatis diuinis) *ministerium reconciliationis* (prouinciam annuntiandae reconciliationis.) *Pro Christo igitur* (Christi vice & nomine) *legatorum munere fungimur* tanquam DEO exhortante per nos : *reconciliemini DEO*, seu, accipiatis oblatam gratiam, & hostilem animum aduersus DEVM abiiciatis. Ergo haec emendatio hominum, qua ex inimicis amici DEI fiant, non totam reconciliationem eorum cum DEO absoluit, sed ad hanc etiam pertinet illa voluntas DEI non imputandi hominibus peccata. Neque ipsi Sociniani negare possunt, per Christum effectum esse, vt DEVS hominibus peccata remitteret, horumque poenas condonaret, atque sic DEVS ipse hominibus reconciliaretur. Sed *quam init rationem* DEVS, vt per Christum sibi reconciliaret mundum ? Paulus respondet v. 21: *DEVS enim Christum fecit peccatum*, seu tanquam peccatorem tractari sicut (exhibemus hic explicationem, quam ipsi Sociniani nobis concedant) *vt nos fieremus iustitia DEI*, seu tales, qui apud DEVM iusti censeremur. Ergo talis reconciliationis nostra cum DEO, qua hic non imputet nobis peccata nostra, & quae nos mouere debeat, vt in amicitiam DEI redeamus, est effectus cruciatum, quibus Christus sicuti peccator affectus est. *Quo nexu* cum his ille effectus cohaereat, infra videbimus. Porro diserte etiam Rom. 5, 10. dicitur, *nos reconciliatos esse* (κατηλλάγμεν) DEO per mortem filii ipsius ; & Christus ideo μεσίτης vocatur DEI & hominum ; quoniam se ipsum dederit αὐτίλυτον pro omnibus I Tim. 2, 6.

Haec



Haec reconciliatio hominum cum DEO iam vi vocis praeter veniam peccatorum & poenarum condonationem complectitur etiam fauoris diuini & benevolentiae restitutionem; sed tamen haec pars beneficii altera etiam diserte coniungitur cum illa priore & morti Christi tribuitur. Paulus enim hanc sententiam Eph. 1, 6. DEVS ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς seu acceptos nos & gratiosos apud se reddidit in dilecto sc. filio connectit cum illa altera v. 7. in qua ratio prioris sit, quum pergit: quippe in quo habemus ἀπολύτρωσιν per sanguinem eius, nempe remissionem peccatorum. Atque hanc vim reconciliationis nostrae cum DEO confirmant omnia illa oracula, quae deinceps in peculiari classe recensebimus, quibus docemur, Christum pro nobis mortuum esse, vt nos προσάγη, adduceret DEO, & vt nobis accessus ad DEVIM fiduciae plenus pateret; imo illa omnia, quae in classibus adhuc reliquis collocata afferemus.

Sed hic inuitis nobis abrumpendus est sermo de resuavisima, id est, de dulcissimis mortis Christi fructibus, itemque de re grauisima ad salutem nostram scitu apprime necessaria institutus. Supersunt enim adhuc alii fructus ad solatia nostra & gaudia uberrimi, quos ex morte Christi prouenisse oracula diuina diserte testantur; nempe, abrogatio legis illius Mosaicae & ritualis, in qua erat disciplina seruis & pueris impuberibus accommodata, & ad terrorem iniiciendum magis composita; porro accessus ad DEVIM tanquam patrem cum plena fiducia; item reconciliatio & consociatio sub Christo tanquam capite communis *tum* hominum, Iudeo-

daeorum Ethnicorumque, inter se, *tum hominum cum reliquis ciuitatis DEI coelestis latissime patentis ciuibus; denique, quidquid ad veram hominum felicitatem pertineat, maxime vero vita & beatitas illa coelestis & aeterna.* Hos fructus, quibus solatia & partes beatitatis hominum continentur, in vnum quasi aceruum congestos comprehendimus sub *primo effectu & scopo mortis Christi.* Atque huius demonstratio si absoluta fuerit, ex descriptione partium supra proposita sequetur, vt duos alias eiusdem mortis effectus, quos oracula diuina nos docent, ex his cognoscere studeamus. Si hunc *triplicem effectum & scopum mortis Christi cruentae* eatenus, quatenus e disertis DEI testimoniis in S. litteras relatis intelligi potest, demonstratum dederimus, *tum ex ordine supra delineato oracula diuina a nobis consulenda erunt, num & quid de nexu nos doceant, quo mors Christi cruenta cum illis effectibus cohaereat, seu, quo illa horum causa sit.* His omnibus de *morte Christi* pertractatis breuiter deinceps considerandum erit, quid S. Scriptura de *effectu & fine dixit apatos & obedientiae Christi* doceat.

Haec sunt praecipua momenta, quae adhuc restant ad absoluendam *alteram* totius commentationis nostrae *partem*, quam in hoc Programmate tractare coepimus. Sed illorum vltiorer explicationem demonstrationemque *tum* alia necessitate *tum* ipsis huius scriptoris limitibus coacti differimus in aliam opportunitatem, quam tamen proxime, si DEVS ita voluerit, captabimus.

Neque tamen impetrare a nobis possumus, vt finem huic Programmati ante imponamus, quam Vos, Ciues Carissimi, ex sincero amoris affectu per ipsam Vestram salutem obtestati fuerimus, vt his feriis memoriae Christi e mortuis suscitati consecratis omnes Vestras cogitationes sanctas huc maxime conuertatis, vt Jesum tanquam *μεσίτην* Vestrum comtemplemini, qui secundum effatum illud diuinum Rom. 4, 25. *tum* propter peccata Vestra traditus sit, nempe in acerbissimos cruciatus & in supplicium crucis ignominiosissimum aequa ac dirissimum, *tum* vero etiam e mortuis suscitus sit propter Vestram iustificationem. Hanc meditationem sanctam & salutarem iuuabit, vt speramus, haec, quam Vobis exhibemus, *commentatio*, qua oracula illa

§

collig-



colligere coepimus, quibus ipse DEVS diserte Vos docet vberri-  
 mos dulcissimosque fructus e morte Jesu reconciliatoris nostri  
 oriundos. Sed quam dulces hi sint, non poteritis experiri & gu-  
 stare, nisi prius peccatorum turpitudinem & miseriam ita cognoueritis,  
 vt intelligatis, quam necessaria Vobis sit atque exoptata  
 eorum expiatio per Christum morte ipsius praestita. Nolite igi-  
 tur subterfugere recordationem seriamque cogitationem pecca-  
 torum Vestrorum; impendite potius huic quamuis tristi cogita-  
 tioni iustum quoddam & peculiare tempus; imo ipsi DEVUM pre-  
 camini, vt duritiem cordis emollire velit: haec est tristitia pro-  
 pter DEVUM suscepta, cuius nunquam aliquem poenituit, nec  
 Vos poenitebit. Tum existent in Vobis desideria flagrantissi-  
 ma bonorum, quae mors Christi peperit, praestantissimorum; &  
 DEVUS ipse Vos trahet ad filium suum Vestrum reconciliatorem  
 pro Vobis mortuum, atque animos Vestros fiducia suaua erga  
 hunc implebit. Tum ipsa experientia magis in dies magisque  
 percipietis, quanta sit in illis fructibus mortis Christi dulcedo.  
 Tum vero etiam vindicabimini a tyrannide vitiorum omnisque  
 iniquitatis ita, vt potius tanquam populus Christi pecularis fia-  
 tis ζηλωται actionum pulchrarum DEOque placentium, in qua  
 re ipsa est fructus aliquis mortis Christi omni desiderio dignus  
 Tit. 2, 14. Ipsa illa gratia salutaris, quae in Christo pro nobis in  
 mortem tradito illuxit, disciplina sua Vos ita instituet & confor-  
 mabit, vt renunciantes vitae irreligiosae & cupiditatibus rerum  
 mundanarum sobrie, iuste, & religiose viuatis hoc aevo in terris  
 agendo, expectantes beatam spem & apparitionem gloriae ma-  
 gni DEI & seruatoris nostri Jesu Christi, in qua coram throno  
 DEI constituti Vos cum admirabili illo & pulcherrimo concentu  
 vniuersae ciuitatis DEI Apoc. 5, 9-14. canetis agni illius mactati  
 dignissimas laudes, pro eo, quod Vos DEO sanguine suo rede-  
 merit, effeceritque vt Vos DEO vestro essetis reges & sacerdo-  
 tes. Ad hanc tantam omniq[ue] cogitatione maiorem felicita-  
 tem consequendam vt hae nostrae litterae aliquid adiumenti  
 Vobis afferant, id est, quod DEVUM O. M. ardentissimis preci-  
 bus obsecramus.

---

P. P.

BUETZOWII, SUB SIGILLO ACAD.  
 IPSO PASCHATIS FESTO 1777.




Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn183116454X/phys\\_0029](https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn183116454X/phys_0029)







\* \* \*

nque, inter se, *tum* hominum cum reliquis latissime patentis ciuibus; *denique*, quidcum felicitatem pertineat, maxime vero vi-  
elestis & aeterna. Hos fructus, quibus so-  
litis hominum continentur, in vnum quasi  
comprehendimus sub *primo effectu* & *scopo*  
ue huius demonstratio si absoluta fuerit, ex  
supra proposita sequetur, vt duos alios  
fructus, quos oracula diuina nos docent, ex his  
us. Si hunc *triplicem effectum* & *scopum*  
ae eatenus, quatenus e disertis DEI testimo-  
nis intelligi potest, demonstratum dederi-  
supra delineato oracula diuina a nobis con-  
& *quid de nexu* nos doceant, quo mors  
illis effectibus cohaereat, seu, quo illa ho-  
mibus de *morte Christi* pertractatis breui-  
randum erit, quid S. Scriptura de *effectu* &  
*obedientiae* Christi doceat.

cepua momenta, quae adhuc restant ad ab-  
otius commentationis nostrae *partem*, quam  
tractare coepimus. Sed illorum vterio-  
demonstrationemque *tum* alia necessitate  
limitibus coacti differimus in aliam  
am tamen proxime, si DEVS ita voluerit,

impetrare a nobis possumus, vt finem huic  
non ponamus, quam Vos, Ciues Carissimi, ex  
u per ipsam Vestram salutem obtestati fue-  
memoriae Christi e mortuis suscitati conse-  
cogitationes sanctas hoc maxime conuerta-  
n μεσίτην Vestrum comtemplemini, qui se-  
di diuinum Rom. 4, 25. *tum* propter peccata  
empe in acerbissimos cruciatus & in suppli-  
ciosissimum aequa ac dirissimum, *tum* vero  
citatius sit propter Vestram iustificationem.  
Sanctam & salutarem iuuabit, vt speramus,  
xhibemus, *commentatio*, qua oracula illa  
colli-